



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. IV. Præcipua Sectariorum contra Doctores Scholasticos objectio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

Sophia integra per se, & separata à Theologia, tradatur, nil opus hic de Philosophicis differere, sicut nec in hoc opere de iis differam, sed in Philosophiâ discussa ac disputata supponam, eoque lectorem remittam.

VI. Quod verò Patres interdum *Philosophia*, & maxime *Dialectica*, usum reprehendere videantur, vel de *Sophisticâ* loquantur, ubi captiosis potius verbis, quam rebus agitur: vel eos coarguunt qui *Dialecticâ* immoderatè, aut etiam arroganter utebantur, & non ad illustrandam, sed ad evertendam doctrinam, cœlitus nobis per revelationem traditam, suas scilicet argutias Fidei lumini, verboque & dictioni divinæ anteponetes. Quo sensu Tertullianus Philosophos appellat *Hæreticorum Patriarchas*.

VII. Patres ergo non usum *Dialecticæ*, sed abusum improbant; imò moderatum ejus exercitium, etiam in Theologicis disputationibus adhibendum asserit S. Augustinus contra Creconium, qui non minus acerbè eo tempore, quam Hæretici modò, in *Dialecticam* invehebatur: ubi sanctus Doctor: Paulum Apostolum, Christumque ipsum *Dialecticâ* usos fuisse affirmat. Inter alia verò, hæc de *Dialecticâ* ibidem scribit. *Quid est aliud Dialectica, quam perita disputandi? quod ideo aperendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti, quasi Christiane non congruat veritati, & ideo me doctores vestri velut hominem dialecticam, merito fugiendum censuerunt, &c.* libro etiam secundo de Ordine, c. 13, in *Dialecticâ* commendationem sic loquitur: *Dialectica, inquit, docet docere, docet discere: scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.* Hæc ille. Quæ quamvis ita se habeant, moderatus tamen, ut dixi, & modestus esse debet *Dialecticæ* usus, non superbus & arrogans: quam proinde quisquis ad ea, quæ naturæ vim excedunt, solâque revelatione innotescunt, explicanda assumit, meminisse debet eam ancillam esse, non dominam, Fidei ministram, non magistrâ.

VIII. Quartò Theologos culpant, quòd ad Fidei articulos elucidandos, rationes subinde naturales adhibeant, contra mysteriorum tam sublimium dignitatem. Sed eadem opera Sanctos Patres culpent, qui variis similitudinibus à rebus naturalibus petitis mysterium Trinitatis explicare nitentur. Imò Christum ipsum incensent, qui parabolis exemplisque maxime obviis & familiaribus res etiam altissimas declaravit. Gratia nimirum & natura sibi invicem non opponuntur, sed aptè inter se conveniunt, & ut Gratia Naturam ornat, & perficit, ita hæc vicissim Gratiam illustrat, abditissimisque Fidei mysteriis lucis aliquid affert, captuque reddit faciliora.

IX. Quintò offenduntur, quòd Theologi antiquorum Philosophorum dicta quædam suis interdum scriptis inferant, sicque divinis humana, profana factis misceant. At si hoc censei culpa debeat, quot in eruditissimo illo opere de civitate Dei culpas admisit S. Augustinus, dum per viginti duos libros infinita istiusmodi, variamque eruditionem ex antiquorum operibus depromptam congerit, qua Christianam Religionem illustrare conatur. Quoties etiam peccarunt alii Patres, apud quos nihil frequentius, quam ut hujusmodi dictis, ubi sese offert occasio, utantur? Nec ipse etiam S. Paulus ab hac culpa erit immunis; qui Athenis prædicans, Poetæ cujusdam effatum protulit. Imò S. Augustinus hanc consuetudinem maxime approbat, atque res ad Religionem & Fidem Christianam spectantes, Gentilium dictis illustrare, perinde esse, atque ex spoliis Ægyptiorum templum adificare Deo viventi.

X. Sextò Theologiam Scholasticam tractantibus objiciunt, novas eos & peregrinas voces cudere, atque à nullo latino scriptore usurpatas. At quis æquus rerum æstimator hoc Theologis vitio dandum existimet? Cùm enim mysteria gratiæ, resque antiquis illis ignotas tractent, quiquamne reprehensione dignos censeat, si in earum explicatione vocibus utantur, iis similiter ignotis? *Novum fecit Dominus super terram;* quid ergo mirum nova ad illud declarandum verba adhiberi? Interim, qui in novis verbis cudendis adeò sunt religiosi, & ad vocem barbaram toti cohorrescunt, novam nihilominus ipsi religionem cudunt, ubi pravis ac perverfis dogmatibus homines barbore, imò brutorum more vivere edocent, nec hoc sibi vituperio, sed laudi vertendum censent.

XI. Septimò demum, & præcipue objiciunt, perpetua inter Theologos ardere dissidia, eorumque scripta rixis & contentionibus penitus esse resecta, nec ullum inter eos esse altercandi modum: nihil proinde certum, nihil stabile reperiri apud illos posse.

At sanè, Theologorum scripta accuratè quisquis perlegit, videbit in iis quæ ad Fidem spectant, ne minimam inter illos reperiri discrepantiam, sed summè esse inter se concordēs: quòd verò in aliis dissideant, quid incommodi? Imò res varis plurimum inde illustrantur, & veritas magis in dies elucescit. Dum enim suas quisque partes tuetur, propriamque pro viribus defendit sententiam, ac veluti *Spartam nactus quam adornet*, conquistis unde unde rationibus firmare, omni que eruditionis genere excolere, ac veluti ditare nititur, infiniti scientiarum thesauri paulatim congeruntur, disciplinaque omnes ad summum perfectionis apicem perducuntur, suisque redduntur numeris absolutæ.

Siquis verò acriorem se hac in parte præbeat, nimioque abreptus calore, in aliorum opinionibus impugnandis moderationis limites transcendat, hunc ego excessum non approbo; Theologiam enim, non Theologorum quorundam minus consideratam procedendi rationem, defendendam suscipio.

Sed innocens sit oportet, qui alteri crimen objicit, ne, quam in alio reprehendit, se reum culpæ constituat. Mira ergo haud dubiè inter se consensione conspirant illi, qui Theologis in Scholasticis suis disputationibus dissensionem exprobrant. Audite. Cùm primum, canente classico Luthero, mollis hæc & delicata doctrina mundo innotuit, adhinnire illicò cœperunt homines voluptarii, quæque à Luthero dicebantur, pronis auribus exceperunt, avitæque desertâ religione, ut carnis oblectamenti liberius fruenterent, in ejus disciplinam ultro concesserunt, simò ruerunt præcipites, fordidisque illius præceptionibus se totos imbuendos tradiderunt.

Vix tamen nata est hæc secta, quin statim, & ab ipsis fere incunabilis, in alias plures fuerit dissecta. Primò itaque in tres illas solemniores sectariorum classes, *Anabaptistas*, *Confessionistas*, & *Sacramentarios*, velut in tria capita, est divisa, atque in ipsâ propè infantia triiceps effecta. Mox ubi adolevit (ut est fecunda monstrorum parens Hæresis) alia & alia ex se capita protrudit, exiguoque

Temporibus

SECTIO QUARTA.

Præcipua Sectariorum contra Doctores Scholasticos objectio.

I. **S**EPTIMÒ demum, & præcipue objiciunt, perpetua inter Theologos ardere dissidia, eorumque scripta rixis & contentionibus penitus esse resecta, nec ullum inter eos esse altercandi modum: nihil proinde certum, nihil stabile reperiri apud illos posse.

At sanè, Theologorum scripta accuratè quisquis perlegit, videbit in iis quæ ad Fidem spectant, ne minimam inter illos reperiri discrepantiam, sed summè esse inter se concordēs: quòd verò in aliis dissideant, quid incommodi? Imò res varis plurimum inde illustrantur, & veritas magis in dies elucescit. Dum enim suas quisque partes tuetur, propriamque pro viribus defendit sententiam, ac veluti *Spartam nactus quam adornet*, conquistis unde unde rationibus firmare, omni que eruditionis genere excolere, ac veluti ditare nititur, infiniti scientiarum thesauri paulatim congeruntur, disciplinaque omnes ad summum perfectionis apicem perducuntur, suisque redduntur numeris absolutæ.

Siquis verò acriorem se hac in parte præbeat, nimioque abreptus calore, in aliorum opinionibus impugnandis moderationis limites transcendat, hunc ego excessum non approbo; Theologiam enim, non Theologorum quorundam minus consideratam procedendi rationem, defendendam suscipio.

Sed innocens sit oportet, qui alteri crimen objicit, ne, quam in alio reprehendit, se reum culpæ constituat. Mira ergo haud dubiè inter se consensione conspirant illi, qui Theologis in Scholasticis suis disputationibus dissensionem exprobrant. Audite. Cùm primum, canente classico Luthero, mollis hæc & delicata doctrina mundo innotuit, adhinnire illicò cœperunt homines voluptarii, quæque à Luthero dicebantur, pronis auribus exceperunt, avitæque desertâ religione, ut carnis oblectamenti liberius fruenterent, in ejus disciplinam ultro concesserunt, simò ruerunt præcipites, fordidisque illius præceptionibus se totos imbuendos tradiderunt.

Vix tamen nata est hæc secta, quin statim, & ab ipsis fere incunabilis, in alias plures fuerit dissecta. Primò itaque in tres illas solemniores sectariorum classes, *Anabaptistas*, *Confessionistas*, & *Sacramentarios*, velut in tria capita, est divisa, atque in ipsâ propè infantia triiceps effecta. Mox ubi adolevit (ut est fecunda monstrorum parens Hæresis) alia & alia ex se capita protrudit, exiguoque

X.
VI. Objectione Theologos novas voces cudere.

Sectarii novas voces horrent, novam religionem cudunt sine scriptura.

I.
VI. Objectione Perpetua inter Theologos esse dissidia.

II.
Theologi omnes in rebus ad Fidem spectantibus perfectè consentiunt.

III.
Moderatio servanda.

IV.
Innocentia oportet, qui alteri crimen objicit.

TOMVS I. temporis spatio in triginta quatuor sectas excrevit; nunc verò centum propemodum diversissimæ religiones numerantur, ab uno Luthero prognata.

VI. De præcipuis Fidei articulis diffidit: Sclarij.

Hofius lib. 1. contra Brentium.

VII. Quibus se nominibus appellant Sclarij.

Similitas inter Lutherum & Carolstadium.

VIII. Quibus verbis se invicem excipiunt Hæretici.

IX. Lutherus maledictis inesse Sacramentariis.

III vicem uterpendit.

Calvini in Lutheranos convicia.

Nec est cur quisquam existimet, in levioribus tantum quibusdam rebus has inter eos ortas esse controversias: de præcipuis enim fidei articulis diffident, sibi quæ invicem Hæretici nomen & notam inurunt. Sic Lutherus libro contra Sacramentarios scripto: *Hereticos, inquit, serio censemus, & alienos ab Ecclesiâ Dei esse Zuinglianos, & Sacramentarios omnes, &c.* Et alibi: *Beatus Vir, inquit, qui non abiit in Consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zuinglianorum, nec sedit in cathedrâ Tigurinorum: &c.*

Idipsum præstant reliqui omnes, seque mutuo Ethnicos, Iudæos, Turcas, Atheos, Dæmones appellant, ac dente plusquam canino lacerant, omnique opprobriorum & conviciorum genere, ut mox ostendam, profcindunt. Imò eò usque processerunt odia, ut nec in iisdem se provinciis ferre possent, sed summâ vi contendeat quisque, ut alium expelleret, & quam longissimè amandandum curaret. Qua in re non insecutum est, quòd inter Lutherum & Carolstadium contigit. Seditiosus ille concionibus Carolstadium è loco quodam eiecerat: haud ita multò post Lutherus Orlamundam, quæ Carolstadii partibus favebat, se contulit, qua in civitate quid sibi acciderit, Lutherus ipse his verbis refert, *Orlamundam, inquit, cum venissem, bene comperi, quid seminus ipse (Carolstadius) ibi seminaverit, ut gauderem me non lapidibus & stercoribus ejectum fuisse: ubi nonnulli ex eis talem mihi dabant benedictionem: Abscede in mille diabolorum nomine, ut collum frangas priusquam oppidum exieris.*

Vt autem rixæ eorum ac discordiæ clariùs innotescant, non erit à præsentis instituto alienum audire tantisper quibus se mutuo verbis excipiunt; quam inquam contumeliosis Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Sacramentarii, & alii, quamvis eodem omnes ovo geniti, se dictis impetant & disceptant.

Atque ut ab ipso duce gregis Luthero ordiar, is ubi in Sacramentarios sapius acerbe fuisset inductus, eos tandem *Perdiabolatos, superdiabolatos, & transdiabolatos* appellat, eorumque linguas penitus in Satana potestate esse affirmat qui eas quocunque velit, arbitrato suo inflectat. Illi ut vicem ei rependant, *Lutheri os diaboli plenum esse aiunt*, verbaque ejus omnia olere dæmonem. Lutherus insuper Zuinglium *Satana Venenum*, Carolstadium *corporeum dæmonem*, alios alii id genus nominibus vocat, furiosoque impetu in omnes pro libidine fertur, probrisque & contumeliis exagitat. Sed *Qui qua vult dicit, ea que non vult, audiet.* Alii vicissim eum *contumacem* appellant, *petulantem, rixosum, philantiâ remulentum, lymphatum, somniatorem*, qui scilicet vertiginosi post nocturnam crapulam cerebri somnia, visiones interpretetur, & optimè in vino divinet: *procacem, elatum, superbum*; iis denique coloribus depingunt, quasi Lutherum inter & *Luciferum*, ut voce, ita re ipsa non multum ceaseant interesse.

Nihilo segnitiùs hac in parte agunt ceteri, nec minus in hujuscemodi contumeliis excogitandis ingeniosi sunt, aut in inferendis liberales. Ex Lutheranis nonnulli quoddam Calvinii dogma severiore censurâ notaverant. Calamum è vestigio in eos acuit Calvinus, miramque in maledicendo eloquentiam ostendit. Eos itaque *rudes, ignavos, furiosos, tumultuos, brutos homines* appellat, quique *ne guttam quidem ingenii pudoris in se contineant, Cyclopes, latratores, phreneticos, bestias, protervos, fa-*

stuosos, caninâ improbitate, ac diabolicâ superbia imbutos, qui denique & ipsi fascinati sunt, & alios perditis suis erroribus fascinant.

Hæc & his similia de Lutheranis Calvinus; sed nunquid impune? Nihil in eo Lutherani inveniantur laude dignum? Audite: *Illum ipsi vicissim tyrannum vocant, delirum, persidam, Epicureum, garrulum, sophistam, furiles nugæ, & jejunos cavillos jacientem, effrenem, impudentem, sycophantâ, falsarium: qui denique si cum sui similibus in mortuario contunderetur, non unam inde veræ Theologiæ unciam exprimeres.*

Unum in hoc genere adhuc exemplum subnectam. Inter Sectarios duos, Brentium, & Bullingerum, lis quædam circa religionem fuerat exorta. Ad probra illic de more profliunt, quæ à Bullingero in se perfecta sic recenset Brentius. *Ego, inquit, Bullingero sum rixator, spiritus inflatus, calumniator, scurrilis, lusor, monus, perversor, mendax, impurum, impudens, garrulus, logodædalus, conviciator, contumeliosus, jactator, ejection Christi è celesti suo throno, blasphemator, vagabundus, furens, levis, leptologus, Eutyrianius, sophista, debachator, &c.* Nec minus hac in re faciendum se & fecundum præbuit Brentius, sed summe ei laudes & encomia cum honore pro suâ modestiâ reposuit.

Sic Westphalus Bezam, Calvinus Westphalum, Ochynus Calvinum, & singuli ferè singulos exagitant, ut hoc proprium Sectariorum idioma merito censeri possit. Quorum in se invicem probra, convicia, contumelias, maledicta, opprobria, execrationes, diras, ex parte refert Hofius citatus: & in librum unum, quem *Ministromachiam* inscribit, ex iis plurima collegit Stanislaus Relcius, ut ostendat quo pacto Ægyptii pugnent contra Ægyptios, & inter malos amicitiam ac societatem esse non posse.

En ut hi Cadmæi fratres mutuis se telis conficiunt, in nullo præterquam in discordia concordet. Si ergo, ut jam dictum est, *Innocens sit oportet, qui alteri quidquam dat vitio*; qua illi fronte defensionem nobis objiciunt, atque è Catholicorum oculis festucam educere conantur, trabem in suis oculis non animadvertentes. Nil tamen mirum tot inter eos dissidia, tantamque reperiri animorum disfunctionem: dum enim ab Ecclesiâ Catholica, quæ firmamentum est veritatis, se segregant, circumferuntur omni vento doctrine, & ad innumeros hæresum scopulos alliduntur: veritas quippe una, viæ errandi infinitæ.

Quod verò adhuc deterius est, non cum aliis tantum, sed secum quisque in rebus gravissimis, ipsisque adeò Fidei articulis diffidet, prioribusque relictis, alia & alia indes dogmata proculdit, credendaque omnibus proponit. Hinc Georgius Saxonæ Dux à Catholicis quid ibidem Lutherani crederent, rogatus, *Quid nunc credant, scio, inquit, quid sequenti anno credituri sint, penitus ignoro: ita nimirum de fide in fidem, de religione in religionem transferuntur.* Quare appositissimè ad rem præsentem S. Hilarius libro ad Constantium & Constantem Imperatores: *Periculosum, inquit, nobis, atque etiam mirabile est, tot nunc Fides existere, quot voluntates: tot nobis doctrinas, quot mores, dum audita fides scribitur ut volumus, aut ita ut volumus, intelligitur. Sic plurima cooperunt esse fides, ne ulla sit, imò verò annua menstruaque de Deo fides decernuntur, &c.* Hæc ille de Arrianis, quæ de Sectariis nostri temporis merito dici possunt, qui Morpheï instar in mille, ut dictum est, se Fidei formas transmunt, Religionemque ut vestem sumunt & ponunt pro libitu. Sed de his satis: nunc ad alia pergamus.

Hofius lib. 1. contra Brentium.

XI. Calvinum paribus excipiunt probra Lutherani.

XII. Aliorum Sclariorum convicia.

XIII. Mira hæreticorum iurgia.

XIV. Quam vanè Sectarii Catholicos desensionibus objiciant.

Veritas una, viæ errandi infinitæ.

XV. Mira inter Sectarios in articulis Fidei inconstantia.

S. Hilari ad Constantium & Constantem Imp.

